





1,850. 3x  
1732 31<sup>a</sup>  
491

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
**REASSUMPTIONE LITIS,**

QVAM  
PRÆSIDE  
**JOAN. FRIDER. WERNHERO, D.**  
PANDECT. P. P. CURIÆ PROVINC. SCABI-  
NAT. ET FACULT. JURID. RESPECT. AS-  
SESSORE SUBST.

PRO LICENTIA  
SUMMOS IN JURE HONORES CAPESSENDI  
IN AUDITORIO MAJORI

D. XXI. NOV. MDCC XXXII.  
PUBLICÉ DEFENDET  
AUCTOR

**JOANNES CHRISTIANUS Klingenstein,**  
JURIUM CANDIDATUS, AC PRÆFECT. GOMMERENSIS  
ADVOCATUS ORDINARIUS.

---

WITTENBERGÆ  
Literis VIDVÆ KÖBERSTEINIANÆ.

DISSESTITIO INVOCATI

DE

# REASSUMPTIONE FRTI

OAVM

PRÆSIDIE

JOAN ERIDR VÆRNHERD

LAMBOOT P F CHRISE PROVINC SABAE

MINTTACIENDE MUNICIPALITATIS A

PRO LICHENIA

BUNNOS IN JURE HONORES CIVITATIS

IN TUTTIORUM MATERIIS

QVAM MUNICIPALITATIS

LIBELLE DESENDEAT

AUCTOR

JOANNIS CHRISTIANUS VILLIGMUTH

JURIDI CAMPDVITAS AC PRÆSTO GOMMERENSIS

ADVOCATUS ORDINARII

WITTENBERG

FECIT ALDÆ KÖLNSTADIVIT



§. 1.



On raro evenit, ut lis semel cœpta facto qvodam superveniente interrumptur. Qvod si enim impedimentum occurrat, qvo minus illam ad finem proseqvi liceat, cursus judicii sistitur. Impedimenta ista vel intuitu judicis, vel ex parte actoris, vel intuitu rei, vel aliarum circumstantiarum occasione, se exserunt, ut adeo variis, iisque innumeris, modis semel cepta controversia possit interrumpi.

§. 2.

Qvandoqve enim bellorum, aliarumve calamitatium publicarum, injuria justitium enascitur, ut jus suum perseqvi partibus haud liceat. Qvandoqve interventione principali prior lis susflaminatur, donec intervenientis jus sit excussum. Rursus qvandoqve paupertate pressæ partes, dum spes meliorum tem-

A 2 porum

porum affulgeat, litem suspendere coguntur. Pariter mors alterutrius litigantis interveniens cursum judicii sistit. Et quis omnes causas, qui litibus obicem ponere queunt, enumeret?

## §. 3.

At, quamvis longo tempore causa quievierit, eam tamen resuscitare, atque ex latebris in lucem retrahere, absque aliis solennibus, fas est. Nec enim in jure Romano eum in finem solennitates aliquæ præscriptæ leguntur. Ergo ad litem interrumpam prosequendam non alia, quam ad causam, ordinario suo tramite continuandam, circumstantiae desiderantur. Quamvis etiam *l. 13. C. d. judic.* causas civiles termino triennali alliget, atque intra hunc omnes causas finiri velit, eandem tamen communiquer non de actione, sed de instantia, explicant, ita, ut intra triennium lis sine aliis ambagibus continuari queat. At post triennium non quidem actione amissa est, nihilominus tamen res de novo agenda, novus terminus impetrandus, expensæque prioris instantiæ restituendæ, nisi ante in ipsa causa de actione simul judicatum in contumaciam fuerit. Tunc enim & actione perempta foret. BRUNNEM ad *l. cit. 13. C. d. judic.* STRYK U. M. §. 16. eod. tit. De Jure Can. omnibus solennibus nos supersedere posse, in lite continuanda, minus dubii habet, cum neque ex hujus præscripto lites ulli certo termino includantur, sed secundum cap. penult. *X. d. judic.* triennium attendendum haud sit, atque in eadem instantia pergere licet.

## §. 4.

BÖLTH

## §. 4.

De Jure itaque Civili & Canonico peculiari quādam & solenni voluntatis declaracione, qva processum se continuaturū qvis profitetur, opus non est. Neque contraria sententia vestigium luculentum in utroque Jure extare memini. Verum, qvod attinet successorem universalem, iste succedit in omne Jus defuncti, adeoque actiones & institutas, & instituendas. Eadem cum defuncto habetur persona, & suo in rebus hæreditariis nullo gaudet privilegio, sed, qvicquid defuncto licuit, hactenus etiam hæredi regulariter licet, &, qvod defuncto fas non erat, neque hæredi integrum habetur. Neque magis ex hærede querere opus est, num processum a defuncto inchoatum velit continuare, quam, num debita a defuncto contracta velit solve-re. Obligationes enim & actiones, immo ipsa litis instantia in hæredem ipso jure transeunt, l. 58. ff. d. O. &  
A. l. 33. ff. d. fidejuss. l. 34. ff. d. judic.

## §. 5.

Neque de successore singulari aliud excupi e legibus potest. Hic enim succedit in realia tantum, & propterea de antecessoris jure personali parum solicitus esse tenetur. Quæ ratio est, qvod emtor locationi a venditore facta stare non teneatur, siqviden in emtorem tantum res, cum cohærentibus illi juribus, transfertur, de personalibus vero, nisi hac lex contractui dicta, nihil actum censetur.

A 3

Ita-

Itaque successor singularis, ut de personalibus motas actiones continuet, nullo jure obligatur, & propterea frustra illius inviti declaratio exigitur. *I. g. C. d. loc. Qvod vero realia concernit, permittitur qvidem successori, propriis allegationibus uti, sed nihilominus aliis solennibus, quam ut litem coeptam vel continuet, vel eidem renunciet, opus non est.* Interim, dum hoc sit, successor alio, quam antecessor, jure haud utitur *I. 76. ff. d. contr. emt. I. 156. §. 3. ff. d. div. reg. Jur. I. 160. §. 2. ff. eod. cap. 46. X. d. R. J. in 6to. cap. 79. ff. eod.*

### §. 6.

Hisce omnibus tamen non obstantibus, praxis singularem plane modum in litibus continuandis introduxit. Jubentur enim successores litem solenniter reassumere, sive mentem suam de lite in statu, quo jam deprehenditur, suscipienda, consuetis formulis exponere.

### §. 7.

Origo totius hujus de reassumenda lite doctrinæ consuetudini & stylo Curiæ debetur. Eaque tam late patere dicitur, ut in pluribus Europæ regnis desideretur, sive successor universalis, sive singularis sit. Conf. MAURIT. *Dissert. de cit. ad reassum. §. VII.* In primis consuetudo hæc Germaniae judicia occupavit, eaque tam legibus Imperii, quam Saxonie stabilita est. De Jure Imp. extat Rec. *Deput. de anno 1600. §. 73.* Nachdem auch in Zweifel ic. in allen andern Fällen  
Lgo

Ladung ad reassumendum ausbracht werden sollet.  
De Jure Sax. Elect. habetur O. P. tit. XVII. Quæ ipsæ  
dispositiones vero, licet per Rec. Imp. Noviss. de anno  
1654. §. 99. seqq. item Mand. Elect. Sax. d. 16. Januar. 1655.  
novissime quoque per O. P. R. tit. XVII. varie restri-  
cta fuerint, necessitas tamen litem reassumendi in  
pluribus casibus remansit. Desiderant nimirum ci-  
tatae leges suo modo reassumptionem, mutatione qua-  
dam emergente ex parte actoris, rei, vel etiam pro-  
curatorum.

## §. 8.

Primo jubet Rec. Imp. Noviss. §. 99. mandata, pro-  
curatoribus data, in hæredes concepi, qvo, si forte  
ante conclusionem in causa mortuus sit litigantium  
unus, citatione ad reassumendum processum non  
opus sit, verum & interlocutoriæ & definitivæ in  
procuratores ferri queant. Ex qvo conseqvitur, si  
forte clausula hæredum desit, etiamnum Jure Im-  
perii reassumptionem reqviri, nisi nomina hæredum  
ante actis insinuata fuerint.

## §. 9.

Cum vero simul ibidem Procuratori injungatur,  
ut nomina hæredum intra tres menses, vel quam pri-  
mum principalium mortem resciverint, Cancellariæ  
insinuet, novum dubium emergit, num, si hoc  
omissum, reassumptione opus sit. Putat id MAURI-  
TIUS Diff. d. cit. ad reass. §. 24. seqventibus motus ra-  
tionibus: ne ländantur hæredes, qui a procuratore,  
distra-

distracto forte negotiorum multitudine, moneri non potuerunt. Amplius, ait, Recessum Imp. Nov. ceu  
jus correctorium, stricte esse interpretandum; magis etiam congrue ut concipientur sententiae, efficere reassumptionem. At, sicuti ante 3. menses finitos, in nomen procuratoris sententias ferri, non obstat, neque laesio, quam MAURIT. l. c. obvertit, impedimento est; ita nec appareat, cur praeceps post tres menses clapsos similia attendi debeant, maxime, cum contra laesionem aliis, & consuetis, remediis, nempe regressu adversus Procuratorem, aut restitutione subsidiaria, partibus consulatur. De Jure quoque novo stricte interpretando frustra laboramus, sicuti clara sunt legum posteriorum verba. Sunt autem illa sat perspicua: alsdenn bis zum Schluss der Sachen verfahren, auch sowohl die definitiv als Bey-Urtheil, dasfern die Erben annoch nicht nahmhaft gemacht, in des Procuratorum Person gefasset ic. Quæ se-  
quuntur, verba de hæredibus, a procuratore nominandis, præcedentia non restringunt, aut tollunt. Nam, quæ additur, ratio: damit die Bescheid desto formlicher begriffen und verfasset werden mögen, nihil de præcedentibus immutat, & magis de expedientia, quam exigentia, loquitur. Neque exinde necessitas citationis ad reassumendum inferri potest.

## §. 10.

Porro jubet cit. R. f. §. 100. in casum, si prior Procurator mortuus, vel alio modo status ipsius mutatus, substitutum constituere, ne opus sit citatione ad reassumendum processum, & quo deinde Substitutus

tutus processum continuare, atque sententia in ipsum ferri queat. Amplius ibidem, Substituto ante procuratorem mortuo, injungitur procuratori, ut ejus rei principales quam primum certiores reddat, quo alius substitui possit. Ex quo conseqvitur, hodienum reassumptionem reqviri, si aut Procuratori Substitutus haud sit datus, & ille fato suo functus, vel ordo mortalitatis Substitutum primo, atque, post illum, mox procuratorem tetigerit.

§. 11.

Prohibentur memorato saepius R. J. §. 101. mandata specialia, & injunguntur generalia, ne citationibus ad reassumendum opus sit. Cum enim pluribus quis pulsatur litibus, fieri soleret, ut, dum ratione reliquorum processuum nullus est constitutus procurator, citatio specialis ad quamlibet causam emitti debeat. Itaque reqviritur mandarum generale ad omnes lites, coram Camera pendentes. Unde sponte sua fluit, generali procuratore haud constituto, ad singulas causas citandam esse partem. Quæ tamen ipsa citatio non ad reassumendam, sed ad ipsam causam de novo suscipiendam, foret. Tunc autem est ad litem reassumendam, si ad singulas causas singuli procuratores constituti, & unus illorum mortuus, vel alias impeditus, neque aut generalis procurator, aut Substitutus adsit.

§. 12.

Ulterius opus est litis reassumtione, sicubi pro-  
B cura-

curator plane non constitutus, & principalis ipse causam tractarit, eadem vero pendente decesserit, vel procuratorem quidem sibi esse voluerit, mortuus tamen sit ante exhibitum mandatum, aut procurator ante suscepit causam, cumque ipso pars principalis, diem obierit supremum. OBRIST. Proc. Cam. Imp. tit. §. XXVII. p. 109. Qvamvis enim Mandatum in hæredes sit conceptum, si tamen mandans ante causam ceptam fato succumbat, morte illud revocatur, neque hic clausula hæredum effectum aliquem producit. Nam regula generalis de mandato morte revocato non aliter per R. J. restricta censenda, qvam verba ipsa præ se ferunt. Cum itaque ex consuetudine fori per superius tradita reqviratur citatio hæredum ad reassumendam litem, neque de causa, si ante suscepit a procuratore causam mandans obeat, aliud disponatur, cit. R. J. seqvitur, & tunc reassumptioni locum relinqui oportere; maxime, quia Rec. Imp. §. 99. ut mandatum ante mandantium mortem judicialiter productum sit, desideratur, verb. und auf ein oder andern Parthey tödlichen Hintritt ic. wenn anders das Procuratorium vorher von dem bestellten Procuratorum gerichtlich produciret worden.

## §. 13.

In primis etiam reassumtione tunc optis est, si quis pro alio ignorante vi mandati præsumti egerit, atque mandatarius talis præsumitus causam agere defierit. Ratio est in promtu. Deficit hic omne mandatum expressum, adeoque & clausula hæredum,  
qvæ

qvæ tamen sola per allegatum s̄epe Receſſum Imp-  
efficit, ut litis reassumtione opus ne sit. Deinde,  
cum ignoret principalis, qvid a procuratore facto  
peractum, hinc etiam nulla ejus, niſi ex ratihabitio-  
ne, fit obligatio, non potest non ipsius ſententia ex-  
qviri, num litem fuscipere velit, qvo aut deinde  
contra ipsum cauſa ad finem usque litis pera-  
gatur, aut mandatarius præſumtus ad intereſſe con-  
veniri queat. Add. B. MENCKEN ad O. P. S. tit.  
**XVII.** §. 5.

## §. 14.

Rursus, si procurator cauſæ renunciet, opus eſt  
citatione ad litem reassumendam. Ejus rei ratio-  
nem qværere ſolent in hoc, qvod dominium litis ſit  
penes procuratorem lite confeſtata. Sed, si quis ha-  
etenus dicta expendat, nescio, num ex ſolo litis do-  
mino hæc ipſa reassumtio commode ſuspendi poſſit.  
In genere enim procuratore, aut ſubstituto mutato,  
novi conſtitutio injungitur, ne litis reassumtione opus  
ſit. Renunciare autem mandato fas eſt qvocunqve  
tempore ex generaliſſimis juris noſtri principiis. Ita-  
que nec interest, ſive initio litis, ſive poſtea, ſive  
ante mandantis mortem, ſive poſt eam renuncietur.  
B. MENCKEN Pr. tit. XVII. §. 3. Denique in ſucceſ-  
ſore singulari reassumtione reqviri, ex infra di-  
cendis patebit. De tutore ſolo actorium dante pari-  
er monebimus. Neqve creditores concurrentes  
præteribimus.

## B 2

## §. 15.

## §. 15.

Seqvuntur Jura Sax. Electoralia. Per hæc & quidem O. P. tit. XVII. hæredibus litem reassumendi necessitas incubuit. Sed per *Mand. de anno 1655.* clausula hæredum in Mandatis desiderata, eaque inserta, reassumtio cessat. De successore singulari res minus dubii habet, qvod ad reassumptionem obstringatur. Remansit itaque successor singularis, &, mandato in hæredes non concepto, universalis ad reassumendum obligatus. Mutato vero procuratore reassumtio in Sax. non injungitur. MARTINI ad O. P. S. tit. XVII. pr. num. ult. B. MENCKEN tit. eod. §. 3. Tandem O. P. Nov. eod. tit. §. 1. & 2. reassumtio ad solum successorem singularem resticta, necessitas quoque mandatum in hæredes concipiendi remissa.

## §. 16.

Rationes introductæ reassumtionis allegant has, qvod juris naturalis sit, citari eum, cuius interest, neque absentem aut ignorantem condemnari. MAURIT. *Diff. d. cit. ad reass. §. 13.* Sed parum forte huic rationi tribuendum, cum multis in casibus, ubi eadem occurrit ratio, remittatur reassumtio rursusque desideretur, qvamvis fatis constet de lite. Sane, si ista ratio esset adæqvata & solida, reassumtio propter solam hæredum clausulam, mandato insertam remitti non potuisset. Hæc enim una reassumtionis necessitatem excludit, ita, ut etiam contra ignotos in persona procuratoris pronunciari possit.

## §. 17.

## §. 17.

Modum litis reassumendæ qvod attinet, verum est, si principia Juris & rationes excutias, qvalem-  
cunque consensus declarationem sufficere, neqve so-  
lennia præter necessitatem multiplicanda. Sufficere  
ergo poterat consensus expressus & tacitus indincte.  
Est enim reassumtio instar hæreditatis aditionis, quæ  
verbis & factis fieri potest. Qvam sententiam JCtis  
Sax. inprimis arridere ait MAURIT. cit. diff. ss. 13.  
Talia facta sunt, si novus successor Advocato man-  
darum continuandi litem interruptam dederit, si ar-  
ticulos reprobatoriales obtulerit &c. Imo ingenere  
omnis actus, qvi circa defuncti processum non pot-  
est absqve ejusdem continuatione suscipi, tacitam  
continet reassumptionem. Regulariter etiam haud solet  
interesse, utrum qvid expresse an tacite fiat, cum ta-  
citum in jure nostro idem operetur, qvod expref-  
sum, nisi lex doceatur, qvæ tacito omnem vim adi-  
mat, & expresso tribuat.

## §. 18.

Sed his omnibus haud obstantibus, sicuti reaf-  
sumendi necessitas imperatur, expressam reassumtio-  
nem desiderant. Consuela hanc in rem habetur for-  
mula: man wolle den Proces in dem Stande, darin-  
nen er sich anieko befindet, hiermit reassumiret haben.  
Ita enim habet citatio in Camera Imp. emititi solita:  
obangeregte Sach in dem Stand, worinnen dieselbe

B 3

ver-

verlassen, und also noch erszigen geblieben, zu reassumieren, und anzunehmen. OBRIST Proc. Cam. tit. XXVII. p. 123. Idem in Sax-Elect. deprehenditur, cum juxta V. P. S. O. Tit. XVII. reassumtio expressis verbis, ausdrücklich, fieri debeat. Idque confirmatum reperitur in N. P. S. O. Tit. XVII. §. 2. verbis: bleibt es bey der gewöhnlichen Litis-Reassumption noch ferner. Ratio hujus dispositionis & asserti procul dubio est, ut evitentur ulteriores rixæ, quæ ex consensu tacito inferri poterant, hoc scilicet aliquid pro consensu venditante, altero negante, qvale quid in hereditatibus aditis crebro fieri, & num hoc illudve animo heredis gestum sit, annon, qværi solet. Illud autem per se patet, reassumi item etiam per procuratorem posse, siquidem iste speciali mandato instrutus sit, PER. - ILL. Dn. LIB. BARO DE WERNHER Obs. For. Part. VII. Obs. 128. Cum enim litis reassumtio sit res maximi præjudicii, nullum est dubium, quod eadem alterius nomine absqve speciali mandato suscipi nequeat.

### §. 19.

Qvibus vero personis Litis reassumtio incumbat, & qvibus in casibus, ex antecedentibus facile intelligi potest. Tenentur scilicet partes, qvarum intuitu mutatio qvædam facta est. Dum dicimus partes, excludimus judicem. Hujus enim intuitu nulla fit reassumtio, sive ordinarius ille sit, sive delegatus. Si ordinarius est, causas officii continuare, jusqve postulantibus reddere debet. Si est delegatus,

tus, atque delegatio intuitu officii facta, cadem successoris est ratio, atque alias judicis ordinarii. Sed si personæ quid commissum, novo ad pergendum in causa Commissoriali Successori opus est, cum in genere morte perimatur delegatio. cap. pen. X. d. offic. jud. deleg. Alio autem emissio Commissoriali, procul dubio causa in statu quo continuatur, nec nisi incongrue, ut ex integro res agatur, petitur. Conf. MAURIT. diff. cit. s. 16. Novus itaque Commissarius post obtentum Commissorale id partibus communicat, &, quid e re jam sit, statuit.

## §. 20.

Omnis ergo reassumptio versatur circa litigantes, easque cum principales, tum accessorias, secundum ea, quæ in antecedentibus proposita, ubi quid circa hæredes & procuratores obtineat, excussum. Cum vero maxime, & Imperii & Sax. nostræ Eleæ. juribus in successore singulari desideretur, paucis, qui huc referendi sint, videbimus. Pertinent itaque huc omnes, qui in officia succedunt, successores feudales, die Lehns. Folger, DN. de BERG. Suppl. Tom. II. p. 401. exspectativarii, Lehns. Begnadigte, DN. BERGER. Eleæ. Disc. For. p. m. 487. particulares fideicommissarii, Id. l. c. & Oecon. Jur. p. m. 1126. emtores, RIVIN. ad b. t. Enunc. 10. SCHWENDEND. ad Proc. Fibig. c. 2. n. 378. Et ingenere omnes, qui alio, quam universali, titulo ad successionem aspirant, atque res non titulo hæredis, sed singulari acquirunt.

## §. 21.

§. 21.

Atque isti omnes Jure Imp. & Saxonico ad reassumendam litem vocandi, non tantum, ubi antecessor litem imperfectam reliquit, sed quandoque etiam tunc adicitandi, si aliis jus in re, de qua agitur, sit quæsitum, & antecessor liti velit renunciare. Quamvis enim omnibus id fas sit, & invitus nemo detineri queat, verecunda etiam cogitatio ejus, qui lites execratur, non sit vituperanda. *I. 4.  
§. 1. in f. ff. d. alien. judic. mut. caus. facta.* tamen hæc renunciatio tertio haud auditio obesse nec debet, nec potest. Nisi ergo pluribus implicari litibus velis, consultum, omnes ad reassumendum simul vocari,  
**Maurit.** cit. diff. *§. 28.*

§. 22.

Ex parte Creditorum, concursu oberto, reassumtio processuum a debitore ventilatorum, num sit necessaria, itidem queritur. Succedunt isti in debitoris locum, atque ipsius jure fruuntur, sed, cum hæredes suo modo litem reassumere teneantur, idem de creditoribus multo magis affirmandum. Add. *Me v. P. IV. Dec. 145. MARTINI ad O. P. S. tit. XVII.  
§. un. num. 25.* In Sax. vero hæc reassumendi necessitas cessat, per ea, quæ superius latius exposita.

§. 23.

De tutori quæri solet, si tutor, vel curator minoris, absentis, bonorum &c. moriatur aut mune-  
re

re suo exoneretur, num reassumtio a tute se-  
qvente vel ipso pupillo &c. fieri debeat. Actorium  
a solo tute datum cum officio ipsius exspirare, com-  
muniter assurit. B. MENCKEN. cit. tit. XVII. §.  
5. & 6. Neque aliter forte de jure Imp. se res habere  
potest, cum, procuratore mutato, nec substituto alio,  
litis reassumtioni locus sit. At, in Sax. & per Vet. &  
Nov. Proc. Ord. aliud dicendum, ex iis, quae de pro-  
curatore supra diximus, facile colligere est, cum  
in Sax. decedente procuratore, superstitie principali,  
litis reassumtio cessaet. CARPOV. Proc. tit. 5. art. 4.  
n. 42. SCHWENDEND. ad Proc. Fibig. p. m. 716.  
GRIBNER Princip. Proc. l. 1. c. 7. S. 3. §. 2. Multo  
minus obtinet reassumtio, si minor major sit factus,  
cum sic non persona, sed personæ saltem qualitas,  
mutetur. CAPZ. l. 3. Rep. 24.

## §. 24.

Syndico constituto, & vel hoc, vel majori uni-  
versitatis constituentis parte, defunctis, num reassum-  
tione opus sit, pariter queri potest. De Jure  
Sax. Elect. Novo per O. P. R. tit. VII. §. penult. resclare fa-  
cits decisa: soll ein solches Syndicat, wenn gleich diejeni-  
ge, so es aufgerichtet, alserseits verstorben, ungeach-  
tet es auf die Nachkommen nicht gerichtet wäre, den-  
noch seine Kraft behalten. ic. De Jure Imp. Syndi-  
co mortuo, argumento a procuratore ducto, si sub-  
stitutio deficiat, necessaria reassumtio videtur. Sed,  
mortua majori universitatis parte, sunt, qui clausula:  
vor uns und unsere Nachkommen, inserta syndicatus

C

instru-

instrumento, reassumendi necessitatem remissam esse, afferunt, e contrario deficiente ista clausula reassumptionem urgent. Sed, entia forte præter necessitatem multiplicari, facile intelligitur, cum universitas non moriatur, sed ejusdem jura etiam in uno conservari queant. I. 7. §. fin. ff. *Quod cujusque univ. hom.* Alter se res habet intuitu plurium Litis Consortium, ex quibus si vel unus decesserit, hæredes, in quorum nomen mandatum conceptum haud extat, ad item reassumendam citandi sunt. Neque ad rem facit, quod unus actor ab omnibus constitutus, hujus enim constitutio rem ipsam non immutat. MAURIT. cit. diff. §. VI.

## §. 25.

Successor itidem singularis non est, qui rem non suo, sed alterius, nomine detinet. Sicut enim hic liti se immiscere opus non habet, sed nominatio ne auctoris sui liberatur; ita etiam vix ac ne vix quidem ad litis reassumptionem poterit compelli. Ex eo fundamento vidua, jure fætem retentionis bona feudalia possidens, horum intuitu item a marito coeptam reassumere non tenetur. RIVIN. ad h. r. En. XI.

## § 26.

Litis reassumptionem præcedit citatio ejus, qui item reassumere tenetur, vel ab altera parte petita, vel ab ipso judice, coram quo causa ventilatur, ex of-

officio emissæ. MEV. Part. 5. Dec. 2. pr. & Conf. 100. n.  
15. Carprov. I. 6. Resp. 26. n. 15. MAURIT. de cit. ad reass.  
§. 9. seqq. UFFENBACH de Conf. Imp. Aul. c. 15. Sect. I.  
Imo interdum reassumturus judicem adire solet, ad-  
ditis precibus, ut partem adversam ad videndum re-  
assumi citet. Proc. Sax. Ord. §. un. Hanc citationem  
olim ad resumendum vocatam tradit MAURIT. I.  
c. §. 2. Cæterum ista citatio in Camera Imp. non ali-  
ter decerni solet, qvam prævia aliquali caulæ cogni-  
tione, LUDOLFF. Proc. Cam. p. 257.

§. 27.

Citatio continet terminum faciendæ reassumti-  
onis. Hic terminus extra Saxoniam est arbitrarius,  
nec statim comminatoryus. In Camera vero Impe-  
riali hac formula emittuntur citationes: hierum so-  
heischen und laden wir euch von Römischi Kayserl.  
Macht, auch Gericht und Rechts wegen hiermit, daß  
ihr auf den dreyfigsten Tag, den nächsten nach Über-  
antwort- oder Verkündigung dieses, der wir euch ze-  
hen vor den ersten, zehn vor den andern, und zehn  
vor den dritten, letzten, und endl. Rechts Tag sezen,  
und benennen, peremptorie &c. In Saxonia Elec-  
torali juxta N. P. S. O. Tit. XVII. §. 2. terminus ille du-  
plicatum spatium Saxonicum præ se fert, &, statim  
sub comminatione, ut lis pro reassunta habeatur,  
præfigitur.

C 2

§. 28.

## §. 28.

Citatus alternative obligatur, vel, ut liti renunciet, vel, ut eandem reassummat. *N. P. S. O. c. I.* verb. dieselben den Proces fortzusehen, oder von solchem längstens in dem angesehenen termino sich loszusagen verbunden. Hac electio salva est, etiam si vel maxime in citatione sola reassumendi obligatio fuerit expressa. Adeo enim obligatio alternativa juris, quæ, licet unum saltem membrum expressum sit, alterum tacite subintelligit. Ceterum corruet ista elec<sup>tio</sup>, si reassumturus vel contumax fuerit, cum sic lis in pœnam contumaciae pro reassumta habeatur, vel liti semel renunciaverit, cum ad jura renunciata, paectorum vim habentia, non detur regressus *I. n. C. d. reb. credit. ac insuper variationes in jure nostro sint odioſæ.*

## §. 29.

Emanente citato ad item reassumendam, more & stylo cuiusque judicii, pœna contumaciae decernitur. Si sub nullo præjudicio citatus sit, in expensas termini condemnatur, aliusque præfigitur. Ille enim effectus est omnis citationis dilatoriaæ. *LUDOV. ad tit. d. in jus voc. Dist. V. STRYK U. M. tit. eod. s. 6.* Emissa citatione peremptoria, præjudicium, in citatione expressum, emanentem manere, prolixa probatione non eget. De Jure Imperii citatio quidem per supra monita peremptoria, sed pœna simul in citatione definita non est. Itaque proceditur in

in causa, ab adversario, ut alias fieri solet. Nempe appellante vel hæredibus ejus ad reassumendum citatis, neque comparentibus, post decretum proclama & 6. juridicas præterlapsas, appellatus recte petit absolutionem a citatione. LUDOLFF. Proc. Cam. p. m. 258. Extra casum Appellationis in causa procedere adversarius potest. Id enim inferunt consuetata citationis verba: zu reassumiren, darinnen ferner der Ge- bühr zu versahren, n. zu sehen, und zu hören, dero selben fürders, und allen folgenden terminen bis nach endlichem Schluss und Urtheil auszuwarten. Ihr kommt und erscheinet alsdenn also oder nicht, so wird doch nichts destoweniger auf des Gegentheils Anrufen hierinnen ferner gehandelt, und procediret, wie sich das seiner Ordnung nach gebühret.

### §. 30.

Quodsi tertius successor, liti renunciet, expensas motæ litis restituere adversario non cogitur. N. P. S. O. Tit. XVII. §. 2. GRIEBNER l. c. §. 3. Quid enim ad hunc lis antecessoris sui? Sane, facta ter- tii terio nunquam præjudicant, & sic neque expensæ litis, a tertio factæ, tertio possunt esse oneri. Qvia potius eo in casu vel ipse, qui item suscepit & tra- Etavit, vel ejus hæredes convenientur, ut expensas litis, temerario ausu motæ, resarciant. Alter longe se res habet cum hæredibus ad reassumendum ci- tatis. Hi enim, si liti velint renunciare, & actorum vicem subeant, ad expensas procul dubio tenentur. Sin reorum partes sustineant, sua renunciatione Jus ad-

C 3

ver-

verfarii manifesto agnoscunt, & propterea aliter fieri non potest, qvin in expensas non tantum, sed etiam ejus summæ, vel alterius rei, qvam auctor petit, condemnentur.

### §. 31.

Nihil impedit, qvo minus citationi a judice inferantur aetus judicarii, proxime peragendi, qvo partim ambages litis, qvæ jam per se in reassumtione satis longæ sunt, recidantur, si conditionaliter citato injungatur, ut aetum peragendum, facta reassumptione, expeditat, partim etiam citatus meliori modo secum deliberare possit, velutne cedere, an contendere, CARPZOV. P. I. Const. El. II. d. 17. B. MENCKEN c. 1. §. 5. Ut tamen eo ipso, si lis in contumaciam pro re assunta habeatur, intuitu aetuum peragendorum citato nullum contrahatur præjudicium. Pertinet huc casus, qvem haud ita pridem in praxi occurrisse recordor. Citatus erat qvispiam ad litem reassumendam, & alium aetum expedendum; utrumque sub præjudicio. Posterior citatio de actu qvodam expediendo rite insinuata fuerat, sed prior ad litem reassumendam vitio nullitatis laborabat. Cum ergo ad utramque emanisset citatus, qværebatur, qvid de contumace statuendum. Sed pronunciatum, neutro casu contumaciæ poenam locum habere. Cum enim citatio rite insinuata non esset ad litem reassumendam, sponte sua patet, litem pro reassunta haberri non posse. Cessante ergo hac poena, multo minus ad alteram citationem ema-

emanens contumax habendus est, qvippe qvi de jure, alienæ liti ut se immisceat, se non teneri sciverat, nisi præcedente legitima ad reassumendum citatione.  
Add. RIVIN. tit. XVII. En. 16.

§. 32.

Præterea respuit litis reassumtio omnes conditio-  
nes, clausulasque annexas, cum pure fieri debeat.  
Intendit illud voluntas judicis, qvippe qvi puram li-  
tem reassumendi declarationem in citatione urget.  
Intendit ipsa negotii qvalitas, cum alioquin proce-  
sus, jam per se nimiis ambagibus obnoxii, fieri pos-  
sent immortales. Sane concessum in citatione spatium  
sufficiens ad deliberandum tempus continebit, adeo,  
ut non opus sit conditiones adjicere, atque elabendi  
occasionem præter necessitatem quærere. Est etiam  
litis reassumtio ad instar aditionis hæreditatis, quæ  
itidem pure fieri debet. I. 77. ff. d. R. I. qvamvis de jure  
Sax. Ele&t. per O. P. R. tit. XVII. f. i. & Resol. Grav.  
de anno 1661. tit. Justitien-Sachsen f. 20. nihilominus hæ-  
redibus postea repudiandi hæreditatem facultas, non  
obstante reassumtione, concedatur.

§. 33.

Lis reassumitur in eo statu, in quo fuit tempore  
factæ interruptionis §. 6. Nam interruptio efficit,  
ut cursus judicij sistatur, adeo, ut post eundem su-  
ceptum nullum declaretur ac invalidum. Sic man-  
datarii officium exspirat, nec attenditur contumacæ  
accu-

accusatio, ab eodem facta. Licet enim per Rec. Imper. de anno 1654 §. 99. procurator, non attenta principalis morte, in causa pergere teneatur, attamen ad successores singulares id non pertinere, res ipsa loquitur.

## §. 34.

Itaque non interest, sive lis jam contestata fuerit, sive non. Lite nondum contestata qvidem vix videtur reassumtioni locus, cum ante illam causa in judicium deducta nondum habeatur l. un. C. d. lit. cont. Qvae itaque lis non est, neque reassumi potest. Sed sufficit, citationem antecessori insinuatam, terminumque vel actum unum in judicio expeditum fuisse. Neque jus Rom. huc commode trahi potest, cum alia judiciorum Rom. quam nostrorum, forma fuerit. Imo & l. cit. litem habet contestatam, cum iudex per narrationem negotii causam audire coepit. Tale quid vero in primo fieri termino, satis notum est. Add. MAURIT. cit. Diff. §. 18. & B. MENCKEN cit. tit. §. 4. Qvinimo post sententiam quoqvæ reassumtio non immerito locum habet, si contra eandem remedium vel suspensivum vel devolutivum adhibeatur. Esto etiam, adesse rem judicatam; nihilotamen secius reassumturus auditur, recusantive reassumtio injungitur, cum & interdum res judicata rescissioni sit obnoxia, B. MENCKEN Synops. Pand. ad. tit. de re judic. §. 23. & restitutio in integrum adversus rem judicatam, non qvidem incidenter, sed principaliter, peti possit. PERILL. L. B. DE WERN-

WERNHER Vol. VI Obs. 362. Taceo, ipsam executionem in foro Saxonico impediri per oppositam solutionis aut compensationis exceptionem, in continenti liquidam. Quid igitur impedit, quo minus & post rem judicatam reassumptionem admittamus. CARP-ZOV. L. 3. Rep. 24. n. 28. Id. Part. 3. Decis. 244. Id. Proc. t. 6. art. 4. n. 30. RIVIN. Tit. XVII. En. 7. BERL. Part. I. Conclus. 27. n. 8. MARTINI ad O. P. S. tit. 17. n. 29. SCHWENDEND. p. m. 763. De Jure Imp. sententia in procuratorem, si adhuc successor universalis, fertur, absque citatione ad reassumendum; &, licet in defunctum concepta fuerit, nihilominus tamen in hæredem transfertur. Post sententiam & rem judicatam autem citantur hæredes non ad reassumendum, sed executionem peragendam. MAURIT. cit. diff. §. 19. seqq.

§. 35.

Facta litis reassumtione, judicis officium est, cognoscere, an eadem legitime peracta fuerit, nec ne. Hinc in casu priori: daß Beklagter *item* zur Nothdurft reassumiret, in casu posteriori: daß Beklagter anderer gestalt und besser, als geschehen, *item* zu reassumiren schuldig, per modum sententiæ interlocutoriæ pronunciatur. Qyodsi frivola reassumentis intentione appareat, poterit etiam sub comminatione injungi nova reassumptio. SCHWENDEND. Proc. Fibig. p. 768. Ceterum illegitima unius confortis reassumptio alteri legitime reassumenti non præjudicat. BERL.

D

Part.

*Part. I. Concl. 27. n. 16.* Aliter enim se res habet, si quid a Litis consorte pro communi utilitate gestum est, id omnibus prodest. Hinc, si unus ex multis pro eadem parte stantibus appellari, hujus appellatio & reliquis non appellantibus prodest *t. tit.*  
*C. si un. ex plur. appell.* Idque indistincte ad omnia fatalia extendi solet. Sed diversa reassumptionis est ratio, quæ neque bene, neque male, facta extensioni locum relinquit, cum ex illa præjudicium non leve & obligatio ad litem prosequendam oriatur, adeoque nihil pro communi utilitate geratur. Sin male facta, per se tertio nocere nequit.

§. 36.

Non immerito hac occasione queritur: an fatalia, v. gr. reprobationis a tempore determinato currant, si litem singularis successor reassumere sit obstrictus. Fac ergo, vel judicem extra Saxoniam terminum reprobatorum præfixisse, vel eundem, uti Jure Sax. a lege præsumum, & antecessore superstite, currere coepisse, interea vero temporis singularem successorem ad rem litigiosam vocatum esse. Qvod si jam huic successori statuatur terminus alius ad item reassumendam, quid de priori termino fatali agetur? Queritur itaque: an terminus litis reassumenda impedit, quominus fatale reprobatorium currat. Id quod, variis, quæ sequuntur, argumentis ductus, non possum non affirmare.

§. 37.

§. 37.

Primam rationem suppeditat litis interruptio; qvæ efficit, ut cursus judicij sistatur, ac omnia relinquantur in eo statu, in quo causa tempore factæ interruptionis fuit. Hinc fatale reprobatorum, aut aliud, neutiquam currere potest, sed quiescit, usqve dum fiat litis reassumtio, qvæ jubet, ut processus in eo statu, in quo fuit tempore factæ interruptionis, assumatur. Qvod si igitur ante reassumtionem fatale curreret, lis non in eodem, sed in diverso statu, reassumeretur.

§. 38.

Altera, quæ dari potest ratio, judicis, ad litem reassumendam citantis, voluntate nititur. Hic enim vult, ut successor in termino litem reassumat, nec ante illum ad reassumtionem compellatur. Jam vero ad reassumtionem compelleretur successor ante reassumtionis terminum, si fatale aliquod curreret. Essent enim ante reassumtionis terminum articuli reprobatoriales offerendi, similiave expedienda. Hæc autem quid aliud involvunt, quam tacitam reassumtionem, cum talis suscipiatur actus, qui ipsam processus continuationem simul concernit.

D 2

§. 39.

§. 39.

Denique non raro actus inutilis, omnique destitutus effectu susciperetur. Esto enim, fatale v. gr. reprobatorum currere, adeo, ut articuli reprobatoriales ante reassumptionis terminum essent judici exhibendi. Quid juvaret ista oblatio, si in reassumptionis termino singularis successor liti renunciasret?

§. 40.

Effectus litis reassumptionis hic est, ut lis interrupta continuetur, perinde, ac si reassumens primus fuisset litigans. Hinc omnia onera ac incommoda seqvuntur ipsum reassumentem, pena contumaciales, desertiones fatalium, antecessoris facta, aliaque similia, itidem in reassumente vim suam exerunt. Propterea reassumens litis expensas, in quas defunctus condemnatus est, refundere tenetur. E contrario omnia etiam processus commoda reassumens percipit, cum commoda cuiusque rei eum sequi, quem seqvuntur incommoda, *i. e. de R. Z. ratio habeat.*

§. 41.

Ratihabitio processus, reassumptione facta, con-

cer-

cernit solam externam formam, neutquam vero ad latentia & ignorata processus vitia extenditur.  
RIVIN. En. 18. B. MENCKEN. c. 1. §. 8. Hinc nullum est dubium, qvin reassumens a falso procuratore gesta impugnare, ac nullitatis accusare possit, cum, si falsus procurator inveniatur, nec dici controversiae soleant, nec possit esse judicium l. 24. C. de procur. Ex eodem fundamento reassumens citationis defectum urgere, & alia omnia potest, qvæ antecessori fuerant integra. Succedit enim in ejus locum; reassumit litem in statu, quo antecessor reliquerat. Qvicquid ergo iste impugnare poterat, successor sola reassumptione ratihabuisse dici nequit.

§. 42.

Atqve hæc sunt, quæ de litis reassumptione dicere constitui. Multa, quæ tam ratione thematis selecta, qvam ipsius elaborationis desiderari queant, esse, non ivero inficias. Sed, in themate tali selingendo, veniam me puto propterea meritum, qvod Præticis de materiis practicis differere maxime conveniat, neqve minori privilegio Præticus, qvam alius qvicunque, dignus sit, nam &

Navita de ventis, de tauris narrat  
arator &c.

Cum itaque totus in praxi per aliquale temporis spatum haetenus fuerim, & idem in posterum esse, decreverim, thema practicum aliis prætuli. Elabo-

orationem si quis minus aptam judicabit, memine-  
rit, & temporis angustiam latiorem meditationem  
exclusisse, & a me, tanquam minus exercitato, ac  
unice in fori strepitu versante, alia postulari non de-  
bere; meum vero esse, aliorum profundas, si quæ  
proferentur, admirari lucubrations. Si neque sic  
veniam impetravero, lubens rigori cedam, dubius,  
utrum id ex prudentia, an malitia, proficiatur; si  
quidem posterior tanta non raro est, ut ipsum Sa-  
crosanctum Numen carpere non erubescat. Mul-  
to minus ergo, levissimum hunc ingenii foetum  
censuram acriorem sustinere non posse,  
diffiteor.



*PRAENOBILISSIMO, AMPLISSIMO,  
CONSULTISSIMOQUE*

DOMINO  
RESPONDENTI  
PRÆSES.

**M**Ultis admodum speciminibus diligentiam, profectusque tuos, is comprobatum. Nec enim satis Tibi est, tripli examine, quod semel Practicis & bis Candidatis subeundum est, doctrinam probasse, atque hactenus causas Clientum in foro scite perorasse. Ultimum quasi complementum additurus dissertationem proprio Marte conscriptam obtulisti, eamque publice pro *Licentia*, summos in utroque Jure honores capessendi, obtainenda, defendere paras. Multa meditationibus tuis addere aut detrahere dubitavi, quo manifestius profectuum Tuorum extaret argumentum. Felici jam omine cape studiorum fructus. In reliquis etiam, qua forte auspicio DEI molieris, ut felici succedant omnia sidere, fortunatumque fortiantur exitum, ex animo precor.

VALE.



**G**ratulor ex animo persona præmia digna:  
Det NUMEN, voueo, plura brabea TIBI.  
**CASP. FRID. SCHROEERUS**  
Jurium Candidatus.

---

Dignus es, ut themidos species penetralia sacra,  
Klingsteini, hinc intres. Annuit ipsa Themis.  
**JOAN. CHRISTOPH. PESLERUS.**  
Jurium Candidatus.

---

Frigidus autumnus silvis decussit honorem  
Cum Themis, ecce, TIBI summos decernit honores,  
Victor enim meritis pro suis fert laurea ferta.  
Hæc pauca in perpetuam sui me-  
moriā gratulandi animo scribebat.  
**GODOFR. LUD. MENCKEN.** Lips.  
J. V. C.

Qui Themidos lites tractasti industrius, ipse  
Consequeris fructus, assūmens præmia summa,  
Ipse reassumet Dea, causas, justa, clientum  
Quæs licet optatum per TE discurrere fatum.  
memoriæ causa dabat.  
**LEONH. LUD. MENCCENIUS** Lipl.  
J. V. C.

\*\*\* (o) \*\*\*

Wittenberg, Diss.) 1732

ND 18

ULB Halle  
004 574 621


3



T. Schrifff



B.I.G.



1,850. 3x

1732. 31<sup>a</sup>

491

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

# REASSUMPTIONE LITIS,

QVAM

PRÆSIDE

JOAN. FRIDER. WERNHERO, D.

PANDECT. P. P. CURIÆ PROVINC. SCABI-  
NAT. ET FACULT. JURID. RESPECT. AS-  
SESSORE SUBST.

PRO LICENTIA

SUMMOS IN JURE HONORES CAPESSENDI  
IN AUDITORIO MAJORI

D. XXI. NOV. MDCC XXXII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES CHRISTIANUS Klingenstein,  
JURIUM CANDIDATUS, AC PRÆFECT. GOMMERENSIS  
ADVOCATUS ORDINARIUS.

WITTENBERGÆ

LITERIS VIDVÆ KÖBERSTEINIANÆ.

